This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UC-NRLF
$B 254 542

P A
6768
B65
1874
MAIN

YB 00772

768y
B745

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUAESTIONES TERENTIANAE.

I. DE TEMPORE QUO TERENTII ADELPHOE ACTA SIT.

II. DE PERSONARUM INTER ACTORES DISTRIBUTIONE IN FABULIS TERENTIANIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HILMARUS BOSSE

LANGELSHEMIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS FR. ANDRAEI.

MDCCCLXXIV.

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

Digitized by Google

UNIV OF CALIF
PA 6768
B65
1874
MAIN

I.

De tempore, quo Terentii Adelphoe acta sit.

Quamquam Dziatzko in Mus. Rhen. vol. XX et XXI omnes quaestiones ad didascalias Terentianas spectantes ita illustravit et fere omnes, quas praebent, difficultates ita expedivit, ut in plerisque rebus sententiam eius probandam esse credam, tamen in tempore, quo Adelphoe primum acta sit, indagando et constituendo paululum errasse mihi videtur, cum nimiam auctoritatem tribueret testimonio Donati, quod ipse non nisi dubitanter attulisse videtur. Qua in re secutus est Wilmannsium, qui primus in diss. „de didascaliis Terentianis," quae prodiit Berolini 1864, Adelphos non, ut semper credebatur, sextam inter fabulas Terentianas, sed secundam fuisse ostendere studuerat. Cuius argumentatione probata Dziatzko novis argumentis allatis sententiam illam firmare studuit, idque ita, ut Teuffelius *) et Steffenus **) et alii ei assentirentur. Quare operae pretium esse credidi, paulo accuratius in illam rem inquirere et argumenta ab illis viris allata examinare. Cum autem in hac quaestione nobis proficiscendum sit ab Adelphon didascalia in codicibus tradita, eam, ut res facilius perspiciatur, apponam, idque ita ut didascalia sicut eam exhibet Bembinus allata, ex recensionis Calliopianae codicibus Vati-

*) In hist. lit. Rom. p. 139.

**) In diss. „de actorum in fabulis Terentianis numero et distributione" in Actis soc. philol. Lips. vol. II fasc. I p. 155.

251425

Digitized by Google

canum solum sequar, omissis parvis discrepantiis ceterorum codicum, qui hanc recensionem perpessi sunt, cum nullius momenti sint ad quaestionem a nobis institutam.

In Bembino autem codice Adelphon didascalia sic scripta exstat:

INCIPIT TERENTI ADELPKOS
GRAECA MENANDRV ACTA LVDIS FVNERALIB
LVCIO AEMILIO PAVLO MODOS FECERE
LVCIVS FABIVS MAXVMVS P CORNELIVS
AFRICANVS EGERE LVCIVS KATILIVS PRAENESTINVS
LVCIVS AMBIBIVS TVRPIO MODOS FECIT
FLACCVS CLAVDI TIBIS SERRANIS TOTA FACVA VI
MARCO CORNELIO CETKEGO LVCIO CALLO COS

Dubitari non potest, quin in tertio versu MODOS librarii errore ex QVOS ortum, in quarto autem pro LVCIVS vel QVINTUS vel Q legendum sit.

Vaticanus codex eandem didascaliam sic exhibet:

Incipit Adelphoe
acta ludis funebribus quos fecere
Q. Fabius Maximus P. Cornelius Africanus
Aemili Pauli egere L. Atilius Praenestinus
Minutius Prothymus modos fecit
Flaccus Claudi tibiis Sarranis facta
Graeca Menandri Anicio
M' Cornelio cons.

Cum in didascaliis ad ceteras fabulas spectantibus fere semper in Bembino codice alia actio atque in ceteris codicibus commemorari solet, in hac illi codices mire inter se consentiunt, nisi quod in actorum nominibus Vaticanus „Minucium Prothymum“ pro Lucio Ambivio Bembini exhibet. Nam in consulum nominibus, quod Vaticanus „Anicium“ pro Lucio Gallo Bembini praebet, alterius autem consulis cognomen omittit, id offendere non debet, cum saepissime in didascaliis eiusmodi in nominibus neglegentia inveniatur, ut vel nomen vel praenomen vel cognomen aliquod omittatur. Codices igitur in eo consentiunt, ut ludis

Digitized by Google

funebribus L. Aemilii Pauli L. Anicio Gallo M. Cornelio Cethego consulibus Adelphoe acta esse dicatur, hoc est anno 594 a. u. c.

Nulla igitur adhuc difficultas oritur, et cum Donatus, cuius praefationibus quanta auctoritas tribuenda sit, recte perspexit Dziatzko, eisdem ludis, qui in didascaliis commemorantur, hanc fabulam actam esse dicat, (consulum enim nomina omittit), tota quaestio ad finem perducta esset, nisi Donati loco, quem mox afferemus, in dubium vocaretur, num illo tempore Adelphoe primum acta an repetita esset. Nam cum ille, quem definivimus, annus optime conveniat cum ceteris, quae de Terentii vita tradita sunt, Donatus autem, ut recte Wilmannsius*) monet, primae tantum actionis rationem habere soleat, memo, credo, si ille Donati locus haud exstaret, de Adelphon actione ante a. 594 facta cogitaret. Sed Donatus, postquam in praefatione res didascalicas ad hanc fabulam spectantes commemoravit, sic pergit: „Hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam, etiam tum rudi nomine poëtae itaque sic pronuntiatam: Adelphoe Terenti, non Terenti Adelphoe, quod adhuc magis de fabulae nomine poëta quam de poëtae nomine fabula commendabatur.“ — Ut intellegatur, quid sibi velit haec doctrina de nominibus poëtae et fabulae collocandis, statim alium Donati locum afferam, qui exstat in fragm. de trag. et com**). „In plerisque, dicit, fabulis ipsarum nomina priora ponebantur quam poëtarum, in nonnullis poëtarum quam fabularum. Cuius moris diversitatem antiquitas probat. Nam cum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronuntiabantur antequam poëtae pronuntiarentur, ne aliqua invidia a scribendo deterreri possent. Cum autem per editionem multarum poëtae iam esset auctoritas acqui-

*) l. s. s. p. 64.
**) p. XVIII. Klotz.

Digitized by Google

sita, rursus priora poëtarum nomina proferebantur, ut per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur."

Priusquam de tota hac Donati doctrina dicamus, illum locum paulo accuratius spectemus, in quo tota quaestio a nobis instituta non quidem omnino versatur, sed a quo orta et profecta est. Primum inquirendum, num maior fides habenda sit Donato an didascaliis in codicibus servatis. Dubitari nequit, quin Donato codicibus multo antiquioribus, fortasse etiam minus corruptis, uti licuerit, quam est veterrimus, qui ad nostram aetatem pervenit. Bembinus enim, quamquam, qua sit auctoritate ad fabulas Terentianas emendandas, quanto praestet ceteris codicibus Terentianis, post Ritschelii „de emendatione fabularum Terentianarum" dissertationem*) a nemine ignoratur, tamen duobus fere saeculis post mortem Donati conscriptus esse videtur. Quare, cum Donatus tanto veterioribus, tanto melioribus codicibus uti potuerit ususque esse videatur, si diligenter neque temere eum egisse ostendi potest, fortasse etiam nostrorum codicum auctoritatem eius commentariis postponendam esse, optimo iure contendi potest. Sed ut taceam nunc de truncata corruptaque condicione commentariorum illorum Donati et concedam, locum, de quo agimus, illam, quam dixi, auctoritatem habere, Donatus de ea sola actione loquitur, quam ex didascaliis eruimus, eosdemque ludos commemorat et in fine demum addit: „hanc dicunt secundo loco actam", nullis aliis ludis additis, nullis consulibus, nullis aedilibus. Iam eo offendi possumus; sed quomodo, quaeso, sententiam suam eloquitur, comparatis aliis locis. Scribit: „hanc dicunt secundo loco actam". In ceteris enim praefationibus nunquam usurpat illud „dicunt" sed „haec prima acta est", „haec edita tertia est" vel tale quid dicit. Tantummodo duo exstant loci, quibus sententiae allatae „dicitur" addit.

*) Quae praemissa est indici schol. Vratislav. hibern. a. 1838.

Digitized by Google

In praefatione enim ad Hecyram, qua in fabula Menandri exemplum Terentium secutum esse didascaliae nostrae tradunt, Donatus: „haec fabula, inquit, Apollodori esse dicitur, Graeca, nam et ipsa et Phormio ab eodem dicuntur translatae". Praeterea in ea vitae Terentianae parte, quam Donatus Suetonianae addidisse videtur, haec eius exstant verba: „duae ab Apollodoro esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra". In eadem igitur fabula, in eadem quaestione addit illud „dicitur", ita ut eum ipsum de sententia allata dubitasse, certe eam non pro satis firmata habuisse, pro certo dici possit. Eodem autem modo de illo loco ex Adelphon praefatione allato iudicandum est, quo similem vim dubitationis illud „dicunt" habere negari nequit.

Accedit aliud, quod et in numero Adelphon et in exemplo Graeco Hecyrae Donati sententia differt a didascaliis nostris. Quare Donatum aut in suorum exemplarium didascaliis illas res non invenisse, aut invenisse, sed ob aliquam causam in dubium vocasse atque illam notitiam ex alicuius grammatici scriptis hausisse, conici licet. Nam in didascaliis, quas inspexit Donatus, Adelphos non pro secunda fabula numeratam fuisse cum iam illud „dicunt" a Donato additum ostendit, tum ex eo concludi potest, quod causam quasi addit, qua commotus vel qua probata illam sententiam secutus sit. Nam quod addit: „itaque sic pronuntiatam: Adelphi Terenti non Terenti Adelphi" e. q. s., quis non intellegit, in hac re vanam rationem latere, quapropter sive Donatus sive alius grammaticus Adelphos secundam fabulam fuisse, contenderat? Nam Terentii temporibus veteres illam nominum collocationem curasse eaque commotos aut magis aut minus alicui fabulae favisse, credi non potest, et iam ipsa haec ratio levitatem et vanitatem totius illius doctrinae et perversam subtilitatem illorum grammaticorum, magis externam speciem quam rem ipsam spectantium, mihi prodere videtur.

Digitized by Google

Sed etiam alio argumento ostendi posse credo, in didascaliis, quas inspexit Donatus, sive numerus fabulae exstabat sive omnino omissus erat, Adelphos non pro secunda fabula numeratam fuisse. Recte enim Donatus Andriam primam, Eunuchum tertiam, Phormionem quartam, Hecyram quintam inter fabulas Terentianas fuisse dicit; qua in re non quidem cum ordine, quo in codicibus nostris fabulae numerantur, consentit, sed cum temporibus singulis didascaliis significatis. Restat igitur diiudicandum, utrum in codicibus a Donato adhibitis Hautontimorumenos, ad quam fabulam Donati commentarius non servatus est, an Adelphoe pro secunda fabula numerata fuerit. Cum vero Hautontimorumenon secundam fabulam fuisse ex consulum nominibus didascaliis traditis constet, quis credat, ceteris fabulis eo ordine, quo actae esse videntur, numeratis, in hac una fabula illum ordinem neglectum eamque pro sexta numeratam fuisse?

Sed huic argumentationi obloqui videtur, quod in codice Victoriano et Decurtato, qui ex Donati commentariis emendati esse videntur, hoc ordine fabulae sese excipiunt: Andria, Adelphoe, Eunuchus, Phormio, Hautontimorumenos, Hecyra. Quare Umpfenbachius*) suspicatus est, verba, quae exstant in Hecyrae praefatione: „factaque et edita quinto loco“ ex correctura aliqua orta esse, cum commentarius ad Hautontimorumenon iam excidisset; antiquitus autem etiam in hac praefatione Hecyram pro sexta fabula numeratam fuisse. Cui coniecturae repugnare non audeo, nam ea, quamquam in didascaliis horum codicum iidem numeri inveniuntur, atque in ceterorum codicum didascaliis, tamen aliis quoque argumentis confirmari potest. In codice enim Danieli, qui exhibet Donati commentarios, haec subscriptio exstat in calce Andriae: APLI (Aeli) DONATI. V. CL.

*) In ed. Terent. p. XL.

Digitized by Google

ORATORIS VRBIS ROMAE COMMENTV̄ TERENTII ANDRIAE EXPLICIT. I. INCIPIT SECVNDVS ADELFORV̄. FELICITER. In hoc igitur codice Adelphon commentarius iam secundum locum obtinuit. Praeterea autem illum ordinem, quem praebent Victorianus et Decurtatus, iam antiquitus exstitisse, ex eo concludi potest, quod in Bembino codice et exitus Hautontimorumenu et tota Hecyra scholiis destitutae sunt. Haec igitur scholia ex archetypo aliquo descripta esse videntur, qui fabulas illo ordine collocatas continuit et in fine truncatus erat. — Sed quamnam rationem in fabulis ordinandis adhibitam esse credamus? Nam, etiam si Adelphon rationem non habemus, non eo ordine collocatae sunt, quo actae esse videntur. Nihil igitur restat, nisi ut eo ordine fabulas dispositas esse statuamus, quem etiam in fabulis Plautinis invenimus, nempe alphabetico. Cum enim cetera omnia cum hoc ordine conveniant, in sola Phormionis collocatione offendere possis. Sed cum nullo alio modo ille ordo explicari possit, cum in ceteris fabulis alphabeticus esse videatur, ratio autem aliqua in eo inesse debeat, hoc solo modo illam difficultatem expediri posse credo, ut eum, qui fabulas illo modo disposuit, „Formio“ pro „Phormio“ invenisse vel scripsisse statuamus. Nam quam saepe PH et F litterae in codicibus nostris inter se commutatae sint, notum est, quare hanc rem offensionem habere non credo.

Sed alia quaestio oritur. Aut enim cogitari potest iam Donati temporibus fabulas illo ordine alphabetico collocatas fuisse aut hoc in codicibus nostris demum factum esse. Sin autem iam Donatum fabulas hoc ordine dispositas invenisse, ostendi potest, tota ratio, quam in numeris fabularum indagandis adhibuisse videtur, in aperto est. In ceteris enim fabulis, uti iam commemoravimus, numeri qui Donati praefationibus traduntur, consentiunt, cum tempore, quo unaquaque fabula acta est. Nam Hecyra, quamquam

Digitized by Google

quintam eam fuisse, didascaliae nostrae tradunt, tamen post Adelphos demum placuit, ita ut pro sexta numerari debeat, si earum actionum, quae non ad finem perductae sunt, rationem non habemus. In his igitur fabulis numerus, quem invenit Donatus, consentiebat cum ordine, quo fabulae collocatae erant; quare nullam dubitationis causam Donatus habuit, scripsit igitur: „haec prima acta est“ in Andriae praef., „haec edita tertia est“ in Eun., „editaque est quarto loco“ in Phorm. et, si Umpfenbachii coniecturam probamus, „factaque et edita sexto loco“ in Hecyrae praef. Numeri autem, quos invenit in Adelphon et certe etiam in Hautontimorumenu didascaliis, si omnino exstabant, non iidem erant atque ii, qui ordine fabularum indicati erant. Haec res dubitationem Donati movit; diiudicandum erat inter duas sententias. Ordine fabularum secundum locum Adelphoe obtinebat, sed in didascaliis exstabat: „facta VI“, vel numerus omnino deerat. Poterat sane Donatus, si consulum sive aedilium nomina respexisset, facile conicere, quem numerum Adelphis tribuere deberet, sed temporum illis nominibus indicatorum omnino rationem habuisse non videtur; nam si fecisset, in Adelphon praef., cum illam tantum actionem a. 594 a. u. c. factam commemorasset, non scribere potuisset, eam secundo loco actam videri. Quomodo igitur inter duas illas sententias diiudicavit? Iam inventa et nota ei erat illa doctrina de fabularum et poëtarum nominibus collocandis, iam alii secundam Adelphos fabulam fuisse docuerant, conveniebat autem illa doctrina cum hac sententia, quare, cum commendaretur ordine, quo fabulae collocatae erant, eam probavit. Sed cum non inveniret numerum in didascalia, certe numerus non consentiret cum sententia sua, eam paulo dubitantius protulit et scripsit: „hanc dicunt secundo loco actam.“

Ita igitur viam ac rationem, quam adhibuit Donatus in numeris fabularum indagandis, enarrasse videmur, sed

Digitized by Google

restat adhuc diiudicandum, num iam Donati temporibus, vel antea, F pro PH scriptam esse statuere possimus. Invenitur sane in codicibus nostris vetustissimis haec commutatio et confusio litterarum, invenitur etiam saepissime in inscriptionibus „inde a medio fere saeculo altero p. Chr. n.“ *); sed potestne statui, Donatum, qui profitebatur artem grammaticam, hoc modo peccasse, vel, si insciens aliquis librarius illo modo fabulas disposuerat, eum non intellexisse, qua ratione fabulae collocatae essent? Hoc non statuam, sed cogitari potest, fabulas ab insciente librario illo modo dispositas, postea autem ordine non mutato recte „Phormio“ non „Formio“ scriptum esse, ita ut Donatus, non animadvertens, ordinem alphabeticum in fabulis collocandis adhibitum esse, et hac collocatione et illa doctrina commotus falsam illam sententiam in Adelphon praef. **) proferret.

Sed utut haec res se habet, satis ostendisse videmur, Donatum in didascaliis Adelphos non pro secunda fabula numeratam invenisse, ipsum autem hanc sententiam, cum eam falsa argumentatione commotus probaret, non nisi dubitanter attulisse. Quare ex Donati praefatione non colligi posse videtur, ad secundam aliquam actionem didascaliam nostram spectare.

Sed huc usque tantummodo quasi fontem obstruximus, ex quo tota haec quaestio originem duxit; restat, ut argumenta a Wilmannsio et Dziatzkone ad Donati sententiam confirmandam allata refellamus, et, si fieri potest, alio argumento ostendamus, Adelphos sextam fabulam esse debere.

Primum argumentum, quod attulit Wilmannsius, his verbis expressit ***): „Si Adelphi secunda fabula erat, unde

*) Cf. Schmitz, de aspiratarum Graecarum Latinarumque pronuntiatione p. 15.

**) et fortasse etiam in Haut. praef.

***) l. s. s. p. 50.

Digitized by Google

opinio sextam fuisse, nata sit, facile intellegitur, nam didascalia eam ad annum 594 referebat, quo tempore reliquae Terentiae comoediae iam actae erant: contra si sexta esset, nullo modo cogitari potest, quae dissensionis causa fuerit.“ — Quod argumentum iam eo refutare possumus, ut Wilmannsium didascalias nostras inspicere iubeamus, nam in iis similis commutatio et confusio facta est. In Eunuchi enim didascalia, quamquam hanc fabulam a. 593 duobus annis post Hautontimorumenon actam esse ex consulum nominibus cognosci potest, tamen numerum secundum invenimus; et Hautontimorumenon falso didascalia tertiam fuisse prodit. Sed accedit, quod, si ex eo, quomodo poëtae et fabulae nomina collocata erant, ordinem fabularum constituendum susceperunt grammatici, Adelphis non nisi secundum locum tribuere potuerunt, cum in Eunucho poëtae nomen iam ante fabulae collocatum fuisse, apertis verbis Donatus narret. Praeterea autem fabulis ordine alphabetico, si recte argumentati sumus, collocatis, credi potest, uti iam diximus, Donatum et alios grammaticos hunc ordinem ad tempus spectare putasse, praesertim cum optime conveniret cum illa doctrina de poëtarum et fabularum nominibus collocandis.

Cum igitur hoc argumentum nos satis refutasse credamus, videamus, quid de secundo iudicandum sit. Adelphos enim, novam fabulam intra novem dies, qui intercedebant inter mortem L. Aemilii Pauli et ludos funebres, non edisci et exerceri potuisse, contendunt Wilmannsius*) et Dziatzko**), praesertim, cum etiam Hecyra iterum exercenda esset. — Complura contra hanc argumentationem afferri possunt. Primum vix verisimile est, L. Aemilii Pauli filios in ludis funebribus patris duas fabulas agendas curasse, quarum altera iam exacta altera autem non nova esset. Nam

*) l. s. s. p. 50.
**) Mus. Rhen. vol XXI p. 79.

Digitized by Google

illi ludi, quam splendidi fuerint, cum ex eo colligi potest, quod duae fabulae agebantur, tum et a Polybio*) et Hecyrae prologo traditur, quo et ludi gladiatorii et funambuli commemorantur. Sed hoc non urgeamus et argumentum ipsum spectemus. Intra novem dies novam fabulam exerceri et edisci vix potuisse concedi debet, sed nonne eadem fere difficultas oritur, si Adelphos ante Hautontimorumenon, hoc est ante a. 591, iam actam esse statuimus? Intra novem enim dies non solum Hecyra quinque annis ante acta, sed etiam Adelphoe quatuor annis ante acta iterum exercenda et ediscenda erat. Dziatzkonis igitur et Wilmannsii sententia probata difficultas oritur, quae si non aeque difficile, tamen haud multo facilius explicanda est. Quare magnam vim huic argumento concedere non possumus. Sed videamus, num illam difficultatem non quidem argumentis sed coniectando expedire possimus. Ritschelius enim**) ostendit, dominos gregum fabulas quasi sua pecunia emisse et poëtas non cum iis, qui ludos dabant, sed cum dominis gregum egisse. Quare nonne prorsus probabile est, Terentium statim, cum aliquam fabulam scripsisset, eam Ambivio vendidisse, hunc autem eam iam, antequam magistratus emerunt, et didicisse et exercuisse, ita ut, cum usus veniebat, semper fabulam haberet, quam ageret, et illis novem diebus, qui inter mortem L. Aemilii Pauli et ludos funebres intercedebant, ad retractandas duas illas fabulas uti posset?

Iam ad tertium argumentum, quod ad Donati sententiam firmandam allatum est, transeamus. Dziatzko***) enim haec verba prologi Hautont.†):

„Nam quod rumores distulerunt malevoli,
Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas, factum id esse hic non negat.“

*) XXXII. 9.
**) In parerg p. 331. sqq.
***) Mus. Rhen. vol. XXI p. 80.
†) v. 16 sqq.

Digitized by Google

non intellegi posse contendit, nisi Adelphoe ante Hautontimorumenon acta esset. Nam si a. 594 Adelphoe edita esset, adversarios poëtae non dicere potuisse, Terentium „multas contaminasse Graecas", cum duae tantum fabulae, Andria et Hecyra primum, ante Hautontimorumenon actae essent. Andriam quidem ex duabus fabulis Graecis compositam esse constare, de Hecyra vero valde dubitari a viris doctis, utrum ex uno an ex duobus exemplis Graecis facta sit. — Quibus hoc oppono. Terentium Hecyram ex Menandro et Apollodoro mutuatum esse, quamquam non omnino demonstratum est, tamen a veteribus quodammodo traditur et Dziatzkoni ipsi magis verisimile videtur. Sed hoc argumentum contra Dziatzkonem adductum non urgeamus, concedamus nunc unam tantum fabulam Terentium in Hecyra imitatum esse. At nonne adversarii, quamquam ex tribus tantum fabulis Graecis suas fabulas Terentius composuerat, numerum nimis augentes has tres „multas" appellare potuerunt eodem jure, quo, si secundo loco Adelphoe acta est, quinque fabulas Graecas „multas" adversarios appellasse Dziatzko statuit; vel quo Terentius in Andriae prol. v. 3 de una fabula dicit: „Populo ut placerent, quas fecisset fabulas?" Praeterea autem si quinque „multae" sunt, quam vocem Dziatzko nimis urgere videtur, suntne tum tres „paucae?" Ex his omnibus consequitur, Terentium in prologo illo, cum adversariorum sermonem referret, nihil studuisse, nisi ut voces „multas" et „paucas" inter se opponeret.

Ex Volcatii Sedigiti versu:

„Simitur Hecyra sexta exclusa est fabula"

firmum argumentum peti non posse, Dziatzkonis*) ipsius verba ostendunt, cum dicat: „Ritschl meint zwar, es werde nur hinsichtlich der Hecyra und Adelphi eine Abweichung bestanden haben, indess müssen wir wenigstens die Mög-

*) Mus. Rhen. vol. XXI p. 79.

Digitized by Google

lichkeit offen lassen, dass auch Volcatius den Adelphis die zweite Stelle anwies."

Quare statim ad ultimum Wilmannsii et Dziatzkonis argumentum transeamus, quod sumptum est ex Adelphon prologo. Contendit enim uterque, in priorum fabularum prologis demisse atque modeste poëtam locutum esse, in posteriorum autem confidentius atque audacius. Cum autem modestia in ultimis prologi verbis:

„facite aequanimitas
Poëtae ad scribendum augeat industriam."

expressa sit, inter priores fabulas Adelphos esse referendam. — Vix certi aliquid de his verbis iudicari potest, cum truncatum Adelphon prologum ad nos pervenisse inter omnes fere constare videatur. Sed cum die antequam Adelphoe agebatur, Hecyra iterum exacta esset, nonne verisimile est, paulo demissius Terentium locutum esse vel prologum iam conscriptum paulum mutasse metu commotus, ne novae fabulae idem accideret atque Hecyrae?

Aliud autem adhuc argumentum ex hoc prologo sumpsit Wilmannsius, quod aliquam vim argumentationis habere negari non potest. Nam quod prol. v. 22 poëta spectatores monet, ne exspectent argumentum fabulae, cum in quatuor fabularum prologis nullum de argumento verbum fecisset, certe offendere debet, et iam Sebaldus, quem Liebigius*) sequitur, hanc prologi partem ex Plauti Trinummi prologo mutuatam esse suspicatus est. Sed etiam haec res, ut iam recte monuit Wagnerus**), ad aliquam adversariorum obtrectationem spectare potest, qualis iam in Phormionis prol. v. 13 Terentius mentionem fecerat. Sed utut haec res se habet, cum cetera Wilmannsii et Dziatzkonis argumenta recte refutasse credamus, ob hanc solam rem Adelphos secundo loco actam esse non concedam.

*) In diss. de prologis Terentianis et Plautinis p. 17.
**) In Fleckeiseni Annal. XCI. p. 291.

Digitized by Google

Immo aliud argumentum ex prologis Terentianis erui posse credo, quo ostendi posse videtur, Adelphos post Eunuchum demum actam esse debere.

Eodem enim modo ut in Haut. prol. Terentius respicit ad accusationem adversariorum, cuius iam in Andriae prologo mentionem fecerat, nempe eum fabulas contaminasse, sic in Adelph. prol. nonnullos versus ad accusationem ei ob Eunuchum factam spectare credo. In Eun. enim prol. v. 19 sqq. haec verba leguntur:

„quam nunc acturi sumus.
Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt,
Perfecit sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus quom ibi adesset, occepta'st agi.
Exclamat, furem, non poëtam fabulam
Dedisse et nil dedisse verborum tamen.
Colacem esse Naevi et Plauti, veterem fabulam,
Parasiti personam inde ablatam et militis.
Si id est peccatum, peccatum imprudentia'st
Poëtae, non quo furtum facere studuerit."

Si reputamus, quanta invidia Luscius, ille vetus poëta, adversatus sit Terentio, facile intellegi potest, eum, cum Eunuchus tantopere placuisset, ut statim repeteretur, accusationem, quam iam antequam agebatur, instituerat, nempe furtum factum esse a Terentio, post bonum eventum fabulae etiam magis elocutum esse. Quid autem, si in Adelphon prologo verba exstant, quae quin ad illam obtrectationem et calumniam spectent, dubitari non potest? Nam quam ob causam nisi illud respiciens Terentius haec verba scripsit in prol. (v. 6—14):

„Synapothnescontes Diphili comoedia'st:
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
Reliquit integrum, eum hic locum sumpsit sibi

Digitized by Google

In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus novam: pernoscite
Furtumne factum existumetis an locum
Reprensum, qui praeteritus neglegentia'st."

Nonne haec verba plane ad illam criminationem ob Eunuchum factam spectant, praesertim cum in versibus, qui sequuntur, poëta transeat ad novas adversariorum criminationes? An Terentium tam accurate de fabulae compositione locuturum vel omnino commemoraturum fuisse, putas, se furtum non fecisse, nisi hoc ei iam crimini datum esset, nisi similem accusationem timuisset? Evidentissime igitur consequitur, post Eunuchum Adelphos primum actam esse; cum vero Donati sententia refutata nullum aliud alius actionis testimonium exstet, quid restat, nisi ut didascaliae nostrae fidem habeamus et, licet veteres grammatici et quamvis dubitanter Donatus alio modo iudicaverint, anno 594 primum Terentii Adelphos actam esse credamus? —

Digitized by Google

II.

De personarum inter actores distributione in fabulis Terentianis.

Quaestionem, quam mihi, quantum potero, illustrandam proposui, qui ante me instituerunt Schmidtius et Steffenus diverso modo et viis maxime inter se distantibus progressi explicare et expedire studuerunt. Schmidtii libellus, cuius index est: „Ueber die Zahl der Schauspieler bei Plautus und Terenz," prodiit Erlangiae a. 1870. Duobus autem annis post Steffenus in diss. „de actorum in fabulis Terentianis numero et distributione", quae exstat in actis soc. phil. Lips. vol. II. fasc. 1. p. 109 sqq., ea via in hac re indaganda progressus est, quam paucissimis primus indicaverat Fr. Ritschelius in altera Trinummi editione p. LV. Praeter hos viros alii, ut Fr. Fritschius in libro, qui inscribitur: „quatuor leges scaenicae Graecorum poëseos" tantummodo breviter et in transitu hanc rem tractaverunt et fere nihil, quo ad accuratiorem inquisitionem cum aliquo fructu uti possis, attulerunt, nisi quod Teuffelius in hist. lit. Rom. p. 21 testimonia veterum ad hanc rem spectantia accurate collegit. Quae quamquam paucissima sunt, tamen ab iis proficiscendum esse, Schmidtius et Steffenus intellexerunt, et nos quoque ita hanc quaestionem instituemus, ut testimoniis illis allatis, quid illi viri ex iis collegerint, enarremus et diiudicemus, et tum demum proferamus, quid

Digitized by Google

nobis videatur et quid nos ex illis veterum testimoniis effecerimus.

Romani eo demum tempore, quo Graeci iam ad summam elegantiam in omni genere litterarum pervenerant, quo summam gloriam adeptae summae artes quasi iam senescere coeperunt, illis rebus, quae usque ad Augusti fere tempora inter leviores artes ab iis numerari solebant, aliquam operam navaverunt. Sicut viri docti illorum temporum, quae Alexandrina nominare consuevimus, magis imitando quam novos fontes inveniendo et novas vias ingrediendo artem poëticam et historicam et rhetoricam colebant, sic etiam, quae Romani in litteris praestiterunt, magis cum Alexandrinorum illorum quam cum veterum Graecorum studiis comparari debent. Itaque ars scaenica, quamquam iam inde ab antiquissimis temporibus eam apud Romanos exstitisse constat, tamen tum demum vigescere et coli et ad aliquam perfectionem et honorem pervenire et litteris mandari coepta est, cum Livius Andronicus Graecis fabulis et carminibus in linguam Latinam conversis auctor quasi omnis litteraturae Romanae factus est. Quam ob causam quid verisimilius, quam ut Romani, quae a Graecis inventa et ad summam fere perfectionem perducta essent, ea simul cum fabulis ipsis acceperint et imitando quasi sua fecerint? Sed quamvis verisimile hoc videri possit, tamen non omnino ita hoc factum esse ex certissimis veterum testimoniis cognosci potest, et certe sunt, de quibus valde disceptetur a viris doctis, num a Graecis ad Romanos translata sint necne. Sic de didascaliis, cum alii hunc morem Romanos a Graecis accepisse statuant, alii prorsus negent; atque in hac quaestione his assentiendum esse credo. Nam quod neque hoc vocabulum neque aliud, quod eandem rem significet, Romani habebant, certe aliquam vim argumentationis habet. Sed accedit, quod omnino condiciones rei scaenicae non eaedem erant apud

Digitized by Google

Romanos atque apud Graecos. Romani non habebant χορηγικοὺς τρίποδας ut Graeci, quibus nomina fabularum, poëtarum, actorum et ceteras res, quae in didascaliis commemorari solebant, inscriberent, et ex quibus posterioribus temporibus ii, qui antiquitates, quae dicuntur, indagare studuerunt, cognitionem haurire potuissent. Itaque quamquam Varronem, Aelium Stilonem et qui praeter hos opera didascalica conscripserunt, commentarios magistratuum sive annales maximas in operibus suis conficiendis inspexisse credo, tamen omnes didascaliarum partes in iis exstitisse mihi persuadere non possum. Credi potest et, cum omnes ludi arctissime cohaererent cum cultu deorum rei publicae, valde verisimile est, in annalibus illis, in quibus „praescriptis consulum nominibus digna memoratu domi militiaeque terra marique gesta per singulos dies“*) notari solebant, ludos eorumque auctores, fabularum et poëtarum nomina commemorata fuisse, etiam in ludis funebribus**); sed actorum nomina eiusque, qui modos fecerat, et modos musicos ipsos ex histrionum exemplaribus illos grammaticos collegisse et exemplum Graecum et numerum fabulae inter fabulas eiusdem poëtae ex suis studiis addidisse credam.

Sed me iam nimis a re proposita aberrasse video, quare ut, quod supra dixi, non omnia Graecorum instituta simul cum fabulis ad Romanos translata esse, ostendam, unum adhuc exemplum afferam. Personas (larvas) enim, quibus Graeci eo tempore, quo Livius Andronicus Graecas fabulas in linguam Latinam vertere coepit, magna cum arte utebantur, initio certe a Romanis non adhibitas esse, certissimis veterum testimoniis traditum est Eodem modo, ut tandem ad quaestionem propositam ipsam veniam, morem complures personas uni actori tribuendi, cum fuerit apud

*) Serv. ad Aen. I. 377.

**) Quod negaverunt Wilmannsius l. s. s. p. 62 et Steffenus l. s. s. p. 151.

Digitized by Google

Graecos, potuisse transferri ad Romanos negari non potest, sed ut eae res, quas supra attuli, ostendunt, nisi alia causa vel testimonium veterum accedit, pro certo haberi nequit. Huc accedit, quod de numero actorum, quo utebantur Graeci in nova et media, quae dicuntur, comoediis nihil traditum est et constat. Scimus initio chorum solum, deinde unum et inde ab Aeschylo duos actores egisse tragoedias, constat etiam tertium actorem a Sophocle additum esse. De comoedia autem nihil nisi tres actores Aristophanem habuisse proditum est; sed habuit praeterea chorum et, ut comoediae, quae ad nostram aetatem pervenerunt, ostendunt, etiam parachoregemate usus est. Sed non illius veteris Graecorum comoediae exempla imitati sunt Romani, sed Menandri, Apollodori, aliorum novae comoediae poëtarum fabulas. Ab iis chorum omissum esse constat, sed num iis licuerit, numerum actorum, quantum vellent, augere, num certis finibus etiam his temporibus numerus actorum circumscriptus fuerit, denique num idem fuerit numerus atque in vetere comoedia an auctus sit, de his rebus nihil certi traditum est. Quare etiam si largiri vellemus, morem illum in personis distribuendis a Graecis translatum esse ad Romanos, numerum actorum definire non possemus. Sed spectemus testimonia illa veterum, paucissima quidem nec satis accurata, et videamus, num fortasse ex iis nostrae quaestioni et simul illi, quae spectat ad novam Graecorum comoediam, aliqua lux oriatur.

Schmidtius incipit ab Horatiano illo*): „Ne quarta loqui persona laboret.“ — In tota illa epistula ad Pisones Horatius popularibus suis praecepta ex vetere Graecorum tragoedia et comoedia petita proponit et, cum illam epistulam conscripsisse videatur, ut quae contra Graecorum regulas et praecepta Romani sui temporis peccaverint, castiget, ex

*) Art. poet. v. 192.

Digitized by Google

illis verbis concludi potest, etiam illam de tribus actoribus legem ab iis neglectam esse. Sed quamquam illa verba Horatiana ad tragoediam solam spectare videntur, tamen Romanos contra regulam illam etiam in comoedia peccasse, Schmidtius ex eo collegit, quod tragoedia et comoedia communi fere vinculo connexae erant et in utroque genere excolendo fere eisdem legibus veteres utebantur. Praeterea autem Diomedes illam neglegentiam etiam ad comoediam spectare, his verbis ostendit*): „In Graeco dramate fere tres personae solae agunt ideoque Horatius ait: Ne quarta loqui persona laboret, quia quarta semper muta. At Latini scriptores complures personas in fabulas introduxerunt, ut speciosiores frequentia facerent.“ — Dubitari non potest, quin illa quarta persona idem significetur, quod Graeci παραχορήγημα appellare solebant. Sed sive haec verba ad singulas scaenas sive, quod certe in Diomedis verbis probabilius mihi videtur, ad totius fabulae actores spectare putamus, profecto mirum esse debet, quod quartam personam semper mutam esse debere Diomedes dicit. Nam, ut nunc taceam de Romanis, non solum inter Graecorum comoedias complures ei obloquuntur, sed etiam ipse in verbis, quae mox afferemus. Qua ex re concludi potest, Diomedem in illas res non satis diligenter inquisivisse, vel certe non satis accurate de iis locutum esse. Qua re etiam illi notitiae, pluribus Romanos actoribus usos esse quam Graecos, magnam fidem habere non possumus, praesertim cum illis verbis Diomedes nihil studuisse videatur, nisi ut Horatii verba interpretaretur, quae ad tragoediam solam et ad posteriora tantum tempora spectare ostendisse videmur.

Eodem autem modo diligentia et accurata subtilitas desideratur in verbis, quae exstant p. 491 (ed. Keil); sunt autem haec: „diverbia sunt partes comoediarum, in quibus

*) Lib. III, p. 490 ed. Keil.

Digitized by Google

diversorum personae versantur; personae autem diverbiorum aut duae aut tres aut raro quatuor esse debent, ultra augere numerum non licet.“ — In hac enim parte illius „de poematibus“ disputationis de comoedia agit, idque ita, ut simul de fabulis Graecorum et Romanorum loquatur. Sed quid? „Raro“ personae quatuor esse debent? Loco enim supra allato quartam personam „semper“ mutam esse dixerat. Praeterea autem, ultra quatuor numerum actorum augere non licet? Diomedes enim, uti iam diximus, de comoediis Graecis atque Latinis loquitur, et in his certe nonnullae scaenae exstant, in quibus etiam quinque personae versantur. Ex his omnibus autem consequitur, testimonia ex Diomedis scriptis allata non nisi cum aliqua dubitatione ad quaestionem nostram illustrandam usurpari debere, praesertim cum quam neglegenter vel inscienter grammaticus ille egerit etiam ex iis, quae verba supra allata sequuntur, cognosci possit. Ibi enim quam falso, quid canticum sit, explicaverit, cum unam tantum personam in iis agere debere dicat, et quanto in errore versetur, subtili argumentatione Fr. Ritchelius ex notis „C“ et „DV“ in duobus codicibus Plautinis servatis ostendit.*)

Ex illis igitur testimoniis nihil fere ad quaestionem nostram colligi potest, nam nec de numero actorum nec de personarum distributione aliquid certi in iis traditur, et ne numerum quidem actorum in nova Graecorum comoedia adhibitum ex eis cognoscere possumus, cum nihil, nisi veterem comoediam et tragoediam Diomedes in mente habuisse videatur. Sed priusquam ad tertium veterum testimonium, de quo nobis adhuc dicendum est, transeamus, cum Schmidtius ad personarum distributionem aliquid ex illis Diomedis et Horatii verbis colligi posse putaverit, eius argumentationem et rationem ad personas distribuendas adhibitam spec-

*) Mus. Rhen. vol. XXVI p. 635 sq.

Digitized by Google

temus et examinemus. De illo autem tertio testimonio, quod petitum est ex Euanthii „de trag. et com.“ disputatione, aptius agemus in Steffeni argumentatione diiudicanda, cum Schmidtius ex eo fere nihil effecerit ad quaestionem institutam.

Illam regulam ex Horatii epistula allatam Schmidtius quodammodo etiam in fabulis Plautinis et Terentianis valere contendit, cum fere in omnibus scaenis, in quibus ternarius ille numerus retentus non esset, ita rem poëtae instituissent, ut tribus vel duobus personis inter se colloquentibus, quarta vel quinta tantummodo adnuendi vel negandi causa illorum sermonem interrumperet. Concedi quidem debet, in illis scaenis, in quibus plures personae agunt, fere semper duas vel tres tantum inter se colloqui, sed ceterae personae fere semper non silentes astant et non solum illorum sermonem interrumpunt, sed nunc magis inter hos nunc magis inter illos sermo confertur, quam rem luculentissimo exemplo Steffenus*) ostendit, quod petitum est ex Eun. v. 771 sqq. Ibi enim tacentibus ceteris initio Thraso Gnatho et Sanga, deinde Thais et Chremes, post autem Thais et Thraso inter se colloquuntur. Compluribus deinde versibus a Chremete et Gnathone et Thrasone recitatis, Thais et Chremes abeunt, et Gnathonis Thrasonis et Sangae colloquium usque ad finem huius scaenae pertinet. Quare quomodo Schmidtius ex hoc simplicitatis studio colligere potuerit, illam legem Horatianam quodammodo valuisse apud Plautum et Terentium, non intellego, neque, quod voluit Schmidtius, ex hac re concludi potest, paucioribus actoribus ad fabulas agendas opus fuisse. Nihilo minus postquam illa verba Euanthii de quibus mox**) dicemus, attulit Schmidtius, se ostendisse putat, eundem morem in personis distribuendis, qui fuit apud Graecos, fuisse apud Romanos, complures igitur per-

*) l. s. s. p. 111.
**) p. 28.

Digitized by Google

sonas ab uno actore susceptas esse. Quamquam, si rem accuratius spectamus, nullum argumentum ad illam sententiam demonstrandam attulit, nisi levissimum, quod his verbis expressit*): „An ein vollständiges Aufgeben der alten Beschränkung in der Schauspielerzahl, so dass also nach moderner Weise jede Rolle ihrem besonderen Acteur zugetheilt würde, kann schon desswegen weder bei den späteren Griechen noch bei den Römern gedacht werden, weil eine so gründliche Neuerung sicherlich nicht mit Stillschweigen übergangen worden wäre.“ Non opus videtur, ut ostendam, quam vim eiusmodi argumenta ex silentio scriptorum petita habeant, si non ad probabilitatem rei iam paene demonstratae augendam, sed ad rem ipsam demonstrandam usurpantur. Nam cum eis argumentis, de quibus iam diximus, nihil demonstrari ostendisse videamur, quid de duabus rebus, quas praeterea Schmidtius ad sententiam suam confirmandam attulit, iudicandum sit, recte perspexit Steffenus**), cum eis omnem vim argumentationis abiudicet; quare paucissimis nobis de iis agere licebit. — Primum non nisi ex parvo numero actorum et ex ratione in personis distribuendis adhibita explicandum esse putat, quod in compluribus fabulis eximiae scaenae, quae nonnullarum personarum conventu evaderent, omissae sint. Illas enim personas non una in scaenam prodire potuisse, quod ab uno actore susceptae fuissent. Quae argumentatio, ut recte monuit Steffenus, iam eo refutari potest, quod ex fabulis Graecis poetae Romani suas fabulas fecerunt, qua in re non tam libere versati esse videntur, ut illarum argumentum et compositionem sine ulla causa mutarent. In fabulis igitur Graecis numero actorum et personarum distributione coactos poëtas illas scaenas omisisse concedis? Nullo modo, nam ut taceam de ambiguitate talium rerum, quae in gustatu hominum posi-

*) l. s. s. p. 8.
**) l. s. s. p. 114. sq.

Digitized by Google

tae sunt, etiam scaenae desiderari possunt, quas ut omitteret, poëtam nullo modo ratio in personis distribuendis adhibita commovere potuit, cuius rei cum multa exempla afferri possunt, tum Steffenus*) uno eam ostendit. — Secundum autem argumentum, quod Schmidtius ex Poenuli prol. v. 125 et 127: „Ibo alius nunc fieri volo“ et „Ego ibo ornabor“ sumpsit, haud magnam vim habere concedes, cum haud opus sit, ut, si prologus postea alias partes egit, etiam in ipsa fabula complures partes ab uno actore suscipiantur. Denique haec addit Schmidtius**): „Alles, was wir bisher angeführt haben, liefert wohl hinlänglich den Beweis, dass sowohl äussere als innere Zeichen genug vorhanden sind, die uns die Uebertragung jener bei den Griechen üblichen Beschränkung in der Schauspielerzahl auf die römische Bühne mehr als wahrscheinlich machen. Zur Evidenz wird diese Annahme, wenn wir, wie später geschehen wird, das angenommene Princip an den einzelnen Stücken des Plautus und Terenz als durchführbar darstellen.“ Quid? Si complures personae ab uno actore suscipi possunt, hac re etiam hoc factum esse ostenditur, ad evidentiam perducitur? Eodem iure etiam in nostrorum poëtarum tragoediis et comoediis eundem morem in personis distribuendis adhibitum esse vel adhiberi conicere possis, cum haud multae exstent fabulae, quin in iis complures personae uni actori tribui possint.

Quamquam igitur illis argumentis de distributione personarum Schmidtium nihil ostendisse et probasse vidimus, tamen nunc hanc rem, de qua infra accuratius nobis dicendum erit, concedamus et viam ac rationem a Schmidtio in distribuendis personis et actorum numero definiendo probatam summamque eius argumentationis examinemus. In hac re indaganda ea via progressus est, quae a viris doctis in

*) l. s. s. p. 114. sq.
**) l. s. s. p. 11.

Digitized by Google

Graecis fabulis probata est, cuiusque summa praecepta C. F. Hermannus exposuit in diss. „de distributione personarum inter histriones in tragoediis Graecis“ (Marburgi a. 1840). Profecto hac re magnum praesidium et patrocinium Schmidtius suae causae paravit. Sed aliquantum tamen interest, utrum in Graecis fabulis an in Latinis personas illo modo distribuamus. Quid enim effecit Schmidtius? Cum minimum, quo ad fabulas agendas opus esset, numerum actorum indagare studeret, comparatione et computatione singularum scaenarum eo pervenit, ut inter fabulas Plautinas alias a tribus, alias a quatuor, plurimas a quinque, paucas a sex actoribus, inter Terentianas autem Hautontimorumenon et Hecyram a quinque, Adelphos et Phormionem a sex, Andriam a septem, Eunuchum denique ab octo actoribus actas esse statueret. Sed quid? In Graecorum tragoediis et comoediis, quae quidem servatae sunt, quot adhibuerint Graeci actores, testimoniis veterum traditum est, atque inter eos personae optime distribui possunt; in Romanorum autem fabulis nec certum testimonium, quo numerus actorum tradatur, attulit Schmidtius, nec si morem Graecorum in distribuendis personis etiam apud Romanos valuisse concedimus, hac re etiam probatur, quam paucissimos eos adhibuisse actores, quod ne Graeci quidem omnino fecerunt. Praeterea autem, quod iam Steffenus recte animadvertit, si octo actoribus Terentius in Eunucho uti potuit, quamnam eum causam commovisse credamus, ut eas fabulas, quae post Eunuchum actae sunt, ita componeret et instituerit, ut a paucioribus agi possent; vel si dominus gregis octo habebat actores, quibus uti posset, quamobrem eum in alia fabula personas inter quinque, in alia inter octo actores distribuisse credamus? Aliquam probabilitatem Schmidtii argumentatio haberet, si in omnibus fabulis eodem actorum numero opus fuisse ostendere posset, vel si in posterioribus plures, in prioribus fabulis pauciores actores necessarios fuisse ex

Digitized by Google

computatione eius sequeretur; sic enim credi posset, posteriore tempore numerum actorum auctum esse. Quare Schmidtius argumentatione sua nihil ostendit, nisi quot necessarii fuerint actores ad unamquamque fabulam agendam, sed facto tam paucos vel tot, quot voluit, adhibitos esse actores, non solum non verisimile sed ne probabile quidem reddidit.

Iam nobis transeundum est ad Steffeni argumentationem examinandam et diiudicandam. In prima dissertationis suae parte ostendere studet, morem illum Graecorum in distribuendis personis translatum esse ad Romanos. Allatis igitur illis testimoniis ex Horatio et Diomede petitis, ex quibus nihil ad actorum numerum definiendum colligi possit, pergit ad Euanthii verba. Ex quibus cum acerrima argumentatione et subtilitate numerum actorum in media et nova Graecorum comoedia usurpatum indagare et definire studuerit, operae pretium erit, paulo accuratius disputationis eius summam et sententiarum ordinem enarrare. Verbis illis Euanthius, quam paucissimis fieri potest, quomodo comoedia et tragoedia ortae sint et sensim ad perfectam et perpolitam formam pervenerint, exponit.*) „Comoedia, inquit, fere vetus, ut ipsa quoque olim tragoedia simplex carmen fuit, quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc consisten, snunc revolvens gyros cum tibicine concinebat, sed primo una persona substituta est cantoribus, quae respondens alternis choro locupletavit variavitque rem musicam, tum altera tum tertia et ad postremum crescente numero per auctores diversos personae, pallae, cothurni, socci et ceteri ornatus atque insignia scaenicorum reperta et ad hoc unicuique suus habitus; et ad ultimum, qui primarum partium, qui secundarum et tertiarum, qui quartarum atque quintarum actores essent, distributa et divisa quinquepartito tota est fabula.“ — Iam supra significavi, nobis certis testimoniis

*) p. LV. Westerhov.

Digitized by Google

tantummodo traditum esse, a quibus et quo tempore tertius actor inductus et institutus sit nempe in tragoedia a Sophocle, in comoedia, ut videtur, a Cratino. Sed iam Aristophani in Aeolosicone chorum non concessum fuisse traditur.*) Quare, concludit Steffenus, quid verisimilius, quam, cum poëtae chorum non haberent, illum, qui antea parachoregematis officio functus erat, quartum actorem legitimum factum esse? Huc usque consentit cum Fritschio**), sed cum hic quintum, quem commemorat Euanthius, actorem semper parachoregema fuisse credit, Steffenus, cum numerus personarum semper magis magisque auctus esset, etiam illius novi parachoregematis loco quintum illis quatuor legitimum actorem additum esse, coniecit. In hac re adhuc Euanthii testimonio niti potest. Nam cum hic grammaticus de quinque actoribus in comoedia Graeca adhibitis loquatur, quid verisimilius, quam illum actorum numerum legitimum fuisse in media vel nova comoedia? Sed Steffenus pergit in coniectando. Praeter hos enim quinque actores etiam aliud parachoregema, id est sextum actorem, non legitimum quidem, sed, ut Steffenus putat, concessum a novae Graecorum comoediae poëtis usurpatum et in scaenam inductum esse, statuit. Quod quamquam non prorsus reiciendum est et fieri potuit, tamen in mera coniectura, nullo veterum testimonio adjuta, hanc rem positam esse, tenendum est. Suam autem sententiam, quinque actores in nova Graecorum comoedia usurpatos esse, haud minime confirmari et probabiliorem fieri Steffenus addit, eo, quod omnes fabulae Plautinae praeter Rudentem et Poenulum et praeterea ex Terentianis Hecyra et Hautontimorumenos, ut Schmidtius ostendit, a quinis actoribus agi potuissent. Postquam ita, quantum fieri potuit, numerum actorum in nova

*) cf. Platonios p. XI ed. Kuester.
**) Quatuor leges scaenicae p. 29.

Digitized by Google

Graecorum comoedia adhibitum definivit, idque ita, ut cum eo faciamus oporteat, Steffenus probabile reddere studet, morem Graecorum in distribuendis personis traductum esse ad Romanos. Sed cum testimonia veterum, quae cognovimus, ei ad Graecos tantum spectare videantur, praeter illam causam a Schmidtio allatam, quae petita est ex eo, quod nihil de hac re tradatur a veteribus, qui, si alio modo haec res apud Romanos atque apud Graecos instituta fuisset, eam non silentio praeterituri fuissent, praeter hanc, dico, causam, quod affert certe nullam vim argumentationis habet. Dicit enim*): „Tum, cum fabula Graeca ad Romanos traducta est, minime verisimile est, tot actores eosque bene institutos poëtis vel potius eis, qui ludos scaenicos faciebant, in promptu fuisse, quot in unaquaque fabula personae agendae erant; quod si igitur fiebat, ut numero actorum certus quidam modus imponeretur, credi vix potest, postea hunc morem evanuisse“ Quid? Cum ipse Steffenus ostenderit, quinque minime actoribus opus fuisse, cum septem adhibitos esse in iis, quae sequuntur, probare studeat, tanto difficilius fuisse credamus invenire octo vel decem quam septem actores? Sed ipse quoque Steffenus in fine huius dissertationis suae partis concedit, nihil aliud illis argumentis effici, nisi ut p r o b a b i l e fiat, hunc morem a Romanis acceptum esse.— In altera dissertationis parte ad personas inter actores distribuendas ea via ac ratione usus est, quam unice veram et rectam mihi videri, et quam a Fr.Ritschelio patefactam et indicatam esse, iam initio huius disputationis dixi. Hic enim, cum in altera Trinummi Plautinae editione**) de notatione personarum dissereret atque animadvertisset in codice Vetere, qui dicitur, personas interdum non ut in ceteris codicibus fieri solet, binis ternisve litteris

*) l. s. s. p. 115.
**) p. LV.

Digitized by Google

initialibus sed singularibus Graecis significari, paucissimis suam de hac re sententiam protulit, quibus novam quasi viam ad actorum numerum et personarum distributionem indagandam aperuit. Cum enim in illo codice per octo scaenas Callicles *B* littera, Lesbonicus autem *E*, Lysiteles *Z*, Charmides *Θ*, Stasimus *K*, Sycophanta *X* litteris, Magaronides et Philto autem una *A* littera significentur, totum hoc notationis genus non solum personis aliquo scribendi compendio distinguendis inservire, sed in eo veteris personarum distributionis vestigia contineri coniecit. Cum autem in Bembino codice Terentiano similis personarum significatio litteris Graecis facta exstet, et in hoc codice pertineat ad omnes fabulas exceptis XIX primis scaenis Andriae, iam Ritschelius has litteras eandem vim habere atque paucissimas illas in codice Vetere Plautino servatas, suspicatus est. Quam coniecturam cum Steffenus firmare et ex illis litteris distributionem et numerum actorum definire studuerit, videamus statim, ad quem finem et ad quam sententiam pervenerit. — Cum in priore dissertationis suae parte, ut supra enarravimus, ostenderit, quinque actoribus et, si coniecturam eius de parachoregemate probamus, sex actoribus usos fuisse poëtas novae et mediae Graecorum comoediae, quid verisimilius vel quid magis exspectandum, quam ut illum numerum actorum etiam in fabulis Terentianis adhibitum esse statuat? — Sed quid effecit? Hecyram et Hautontimorumenon a sex, ceteras autem fabulas a septem actoribus actas esse contendit. Iam eo offendimur, quod Steffeni sententia nunc sex nunc septem actoribus usi sint poëtae. Quare idem contra eum dici potest, quod ipse Schmidtio obiecit. Nam si ad Andriam primam fabularum Terentianarum agendam septem actores adhibiti sunt, quam ob rem, si septem actoribus bene instructis uti poterat vel poëta vel dominus gregis, in Hecyra et Hautontimorumeno inter sex tantum actores personas distributas esse credamus?

Digitized by Google

Steffenus autem ipse, cum quid dissertatione sua effecerit, paucissimis complectitur, rationem Graecorum, qua quam paucissimis actoribus ad fabulas agendas uterentur, eo tempore, quo litterae Graecae ad fabulas re vera agendas spectassent, apud Romanos non valuisse dicit, septenarium vero numerum non excessum esse. Qua in re se non recte de Graecis locutum esse, cum quam paucissimis eos usos esse actoribus dicat, Steffenus ipse*) concedit. Hoc enim, non solum ex Euripidis Alcestide concludi potest sed etiam ex compluribus fabulis Plautinis. Ad Plauti enim Cistellariam agendam tres, ad Captivos et Mercatorem et alias quatuor tantum actores necessarios fuisse Schmidtius ostendit. Quas fabulas cum ex Graecis Plautus fecerit, in hac conversione autem certe non in omnibus totam compositionem mutasse videatur, eodem fere modo fabulas illas a Graecis institutas fuisse verisimile est. Quis autem credat, Graecos, cum quinque, ut Steffenus ostendisse mihi videtur, actoribus uti possent, inter tres vel quatuor personas distribuisse?

Sed videamus, num illa varietas in numero actorum aliqua causa firmari vel excusari possit. Numerum actorum apud Romanos non tam certis finibus quam apud Graecos definitum fuisse, certe non esse debuisse, concedi potest. Apud Romanos enim ludi scaenici non tam arcte cohaerebant cum institutis et legibus rei publicae; nam quamquam publici erant, tamen, quae ad eos spectabant institutiones magis in potestate et arbitrio singulorum hominum erant, nempe eorum, qui ludos faciebant, quam ut civitatis legibus praescriberentur. Huc accedit, quod, cum apud Graecos in fabulis agendis non solum poëtarum sed totarum gentium honor positus esset, ad haec certamina etiam vires aequae et pares esse debebant, ita ut etiam de numero actorum

*) l. s. s. p. 144 in annot.

Digitized by Google

certa regula et lege praescripta opus esset. Quae condiciones cum non eiusmodi apud Romanos essent, concedamus oportet, fieri potuisse, ut nunc pluribus nunc paucioribus actoribus uterentur ad fabulas agendas. Sed mirum tamen esse debet, quod histrionum greges nunc ex sex nunc ex septem actoribus compositi sint; nam si dominus gregis septem habebat actores, dubitari non potest, quin inter eos distribuerit personas, etiam si sex sufficerent ad fabulam agendam; atque etiam magis mirum, si cum sex actoribus ad fabulam agendam opus esset, grex ex sex actoribus constituisset, cum autem septem necessarii essent, ex septem. Sed etiam si concedimus, dominos gregis, cum opus esset, septimum aliquem actorem conducere potuisse, certe vix explicari potest, quomodo factum sit, ut Hecyra, si Steffeni sententiam sequamur, a sex, Adelphi autem a septem actoribus ageretur, cum utraque fabula eisdem ludis, eodem fere die daretur. Quare, si recte argumentati sumus, iam haec res haud multum ad Steffeni sententiam commendandam affert; sed erravimus fortasse, quare quomodo Steffenus ad sententiam suam pervenerit, cognoscamus.

Incipit ab eo, ut ostendere conetur „suam unius cuiusque personae notam per totam fabulam antiquitus pertinuisse.“ Cuius rei argumentum ex eo sumit, quod ex quinquaginta personis, (quae inveniuntur in sex fabulis Terentianis), viginti quinque per totam fabulam iisdem litteris signentur, etiam, quod aliquo iure urget Steffenus, scaenis non continuatis. — Valde dubitari potest, num ex hac re satis firmum argumentum peti possit ad litteras ceterarum personarum, id est dimidiae omnium personarum partis, si non libere, attamen aliquanto audacius, quam alias conceditur, mutandas. Sed concedamus nunc, atque illas viginti quinque personas semper eisdem litteris signatas paulo accuratius spectemus. Facto viginti quinque enumeravit; sed primum sex ex Andria petitae ad rem demonstrandam valere

Digitized by Google

non possunt, cum personarum notis in Bembino ad septem ultimas tantum Andriae scaenas servatis ex iis argumentum ad hanc quaestionem, qua per totas fabulas unius cuiusque personae notam pertinuisse demonstrandum sit, peti nequeat. His igitur seclusis restant undeviginti; sed ne iis quidem omnibus argumentationis vim concedere possumus. Steffenus ipse Cliniae nota, quamquam quinquies Γ littera significatur, num recta sit, valde dubitat eamque mutandam esse censet; praeterea autem octo ex illis undeviginti personis, quae restant, semel tantum in scaenam prodeunt. Quare cum Steffenus ipse dicat facile fieri potuisse, ut in scaenis se excipientibus falsa significatio semel illata servaretur, atque in hac re praecipuam corruptionis causam inesse putet, eas ex numero illo secludere debemus, quamvis vel in duabus vel in tribus scaenis sed sese excipientibus eadem littera signentur; Steffeni enim sententiam nullo modo adiuvare et firmare possunt. Restant igitur decem personae eadem littera per totas fabulas signatae, quibus vim argumentationis abiudicare non possumus. Sed, quaeso, potestne ex iis satis firma causa peti ad illam sententiam, suam unius cuiusque personae notam per totam fabulam antiquitus pertinuisse firmandam et probandam? Licetne, propter illas decem personarum notas viginti quinque aliarum litteras tanta, quanta voluit Steffenus, audacia mutare et, nulla alia causa allata quasi suo arbitrio emendare? Concedi quidem debet, notas illas valde corrumpi potuisse praesertim a librariis earum vim haud intellegentibus; et, significationem falsam semel illatam magnam ceterarum litterarum corruptionem et confusionem efficere potuisse, negari nequit. Et unum certe genus emendationum Steffeniarum ex litterarum similitudine probatum, quin non solum concessum sed etiam necessarium sit, dubitari non potest. Quis enim est, qui non intellegat, quam facile Λ et Δ vel E, Θ et Φ inter se commutari potuerint? Quatuor autem

Digitized by Google

personarum notas hanc ob rem corrigendas esse Steffenus censuit. Sed causa, quapropter in Adelphis Getae, cui semel *B* littera, semel *Δ*, bis autem *Γ* littera in codicibus asscripta est idque scaenis non continuatis, notam *Z* (?) fuisse suspiceris, afferi non potest. Nam quot litteras Steffenus corrigendas esse putaverit, facillime ex comparatione horum numerorum cognosces. Ex LXIII enim litteris in Eunucho exstantibus XIX, in Hautontimorumeno XXVI ex LVIII, in Phormione XXII ex LXV, in Hecyra XX ex XLIII et in Adelphis XXVI ex LX litteris mutavit. Quales emendationes si quis ad scriptorum contextum ipsum emendandum proponere vellet, nulla causa nisi illa praeiudicata, ut ego credo, opinione allata, quis talem audaciam in coniectando probaret vel non acerrime castigaret? Quare si alio modo difficultates, quas praebet illa litterarum notatio, expedire poterimus, nemo, credo, non dubitabit, quin paulo audacius Steffenus in personarum notis emendandis processerit, qui quamquam subtili argumentatione numerum et distributionem actorum indagare studuit, tamen in eo peccasse mihi videtur, quod ad rem praeiudicatam accesserat et haud satis, quae differentia intercederet inter personarum notas in Bembino codice servatas et inter eiusmodi notas, quae exstant in Victoriano, animadverterat.

Paulo diutius mihi in Steffeni argumentatione refellenda commorandum fuit, ut illius sententia reiecta meae disputationi quasi viam munirem. Priusquam autem ad notas personarum in codicibus traditas transeamus, iterum nobis spectandum est tertium illud Euanthii testimonium. Ex quo cum collegerit Steffenus, quinque actoribus usos esse poëtas novae Graecorum comoediae, tamen etiam ad numerum actorum a Romanis adhibitum, si quomodo Euanthius totam illam „de tragoedia et comoedia“ disputationem instituerit spectamus, aliquid ex eo effici posse credo, quod quamquam non pro certo dici potest, tamen aliquam pro-

Digitized by Google

babilitatem habet et ad firmitatem aliis argumentis adiutum perduci posse videtur. Quamvis enim ista disputatio „de tragoedia et comoedia“ inscribatur, tamen Euanthius, quae ad tragoediam spectant, magis in transitu attigit et in primis sibi de comoedia atque praecipue Terentiana dicere proposuit. Ipse quid voluerit his verbis significat: „At nos ea, quae proprie de tragoedia dicenda sunt, titulo propositi operis instantes in alia tempora differamus; et de his fabulis iam dicamus, quas Terentius imitatus est.“ Quare paucissimis communi tragoediae et comoediae origine explicata, statim ad comoediam pergit, et quomodo sensim apud Graecos exculta et ad perfectam et perpolitam formam illam perducta sit, quomodo nova ex vetere comoedia, et Latina ex Graeca orta sit, enarrat. Deinde autem ad comparationem Graecae et Romanae comoediae transit. Chorum enim ut Graecos in nova comoedia sic etiam Romanos omisisse, prologos autem et *προτατικὰ πρόςωπα*, quibus Graeci omnino caruissent, Romanos demum invenisse ostendit, denique *θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς* Graecos et ceteros Romanos praeter Terentium adhibuisse narrat. Cum igitur expositis Graecorum institutis, et quibus rebus Romana comoedia et in primis Terentiana differat a Graeca, allatis, nullum de actoribus in comoedia a Romanis adhibitis verbum fecerit, concludi licet, in hac re Romanorum comoediam a Graecorum non diversam fuisse. Sed obici mihi potest, me eiusmodi argumentum ex silentio scriptorum petitum, quod supra magnam vim argumentationis habere negaverim, ad rem propositam demonstrandam adhibere. Sed, uti iam dixi, ex illo silentio scriptoris non certum aliquod argumentum petendum esse credo, sed hanc causam tantummodo usurpari posse ad illam sententiam, cum aliis argumentis eam demonstravero, confirmandam et corroborandam; quamquam aliquid tamen interesse, concedes, inter ea argumenta, quae ex silentio scriptorum petita dicuntur, et illud

Digitized by Google

quod attuli, cum sententiam illam non ex eo demonstrare conatus sim, quod Euanthius de numero actorum apud Romanos adhibito tacet, sed ex eo, quod, quamvis omnia, quibus Graeca et Romana comoedia inter se differant enumeranda sibi proposuisse videatur, tamen nihil de numero actorum a Romanis adhibito addidit, quippe qui idem esset atque apud Graecos. Cum autem per se probabile est, quinarium illum actorum numerum simul cum fabulis a Graecis ad Romanos traductum esse, tum sententiam meam testimonio illo Euanthii adiutam confirmari posse credo litteris illis Graecis, quae in codicibus exstant.

Sed locus iste Euanthii non relinquendus est, priusquam viderimus, quid ultima eius verba varie a viris doctis explicata et enarrata significent. Verba enim: „et ad ultimum, qui primarum partium, qui secundarum et tertiarum, qui quartarum atque quintarum actores essent, distributa et divisa quinquepartito tota est fabula“ Schneiderus in libro, qui inscribitur „das Attische Theaterwesen“ *), cum „qui“ vocem per „ut hoc modo“ interpretetur, sic vertit: „und zuletzt wurde, so dass es dadurch Schauspieler des ersten, zweiten, dritten, vierten und fünften Actes gab, (welche blos in dem einen oder dem anderen spielten), das ganze Stück in fünf Theile (Acte) getheilt.“ Vix opus est, ut hanc enarrationem refellamus, quare statim quid Steffenius ad verba illa explicanda attulerit, spectemus. „Nonne manifestum est, inquit**), hoc dicere Euanthium: eos, qui fabulam docerent actoribus de tota fabula eas, quae illis agendae essent, partes distribuisse? — Etenim quominus illam in quinque partes distributionem fabulae ad actus referamus, structura sententiae grammatica prohibet.“ Etiam haec interpretatio nobis satis facere non potest; nemo enim, cum verba illa perlegit, non de actibus cogitat, et sententiae structura grammatica, qua hanc interpretationem pro-

*) p. 141. **) l. s. s. p. 113.

Digitized by Google

hiberi Steffenus dicit, mea sententia omnino desideratur. Nam cum ex verbis „distributa et divisa“ sententiae illae „qui“ voce incipientes pendere non possint, unde eas aptas esse credamus? Sed fortasse ex alio Euanthii loco etiam illis verbis lucem affere possumus. Pg. XIV (Klotz) enim haec eius exstant verba: „Comoedia vetus — ab initio chorus fuit paulatimque personarum numero in quinque actus processit.“ Quid? Personarum numero, vel, cum apud hos grammaticos „persona“ saepe fere idem significet atque „actor“, actorum numero in quinque actus fabula processit? Non aliter hoc intellegi potest, quam ut statuamus, grammaticos illos, sicut saepe eos fecisse constat, ex externis et fortuitis rebus de aliqua re iudicantes, cum vidissent, veteres quinque usos esse actoribus itemque fabulam in quinque actus divisam esse, alteram ex altera re explicare studuisse. Si eandem fere rem, quod vix dubium esse potest, in illis verbis, quae interpretanda sunt, latere et enarrata fuisse statuimus, talis sententia evadat necesse est, qua, actoribus primarum secundarum tertiarum quartarum quintarum distributis etiam totam fabulam in quinque partes divisam esse, contineatur. Cum vero ex verbis traditis neque hoc neque aliud effici possit, nihil restat, nisi ut ea corrupta esse statuamus et emendemus. Levissima autem correctura est, si particula „et“ omissa vel in „sic“ mutata pro „distributa“ scribimus „distributo“, ita ut sensus evadat, qui, si reputamus rationem illius grammatici ad numerum actuum explicandum adhibitam, omnino huic loco convenit.

Sed ut ad quaestionem institutam redeamus, postquam disputatione nostra vel ostendisse vel probabile reddidisse putamus, quinarium numerum cum in nova Graecorum comoedia tum in Romana non excessum esse, una adhuc res, priusquam ad personarum notas transeamus, commemoranda est. Consulto enim, cum de Steffeni coniectura diceremus, qua praeter quinque illos actores etiam para-

Digitized by Google

choregemate Graecos usos esse statuit, sententiam nostram non aperuimus. Quid Steffenus illa coniectura voluerit, vix intellegi potest, cum postea nunquam ad eam respexerit, immo quinarium illum actorum numerum et a Graecis adhibitum esse et apud Romanos ad omnes fabulas Plautinas agendas praeter Rudentem et Poenulum sufficere potuisse ostenderit. Nihilo minus illam coniecturam quodammodo probandam esse credo, si quidem parachoregema idem significare voluit Steffenus, quod in fabulis Latinis „partes secundarias" vocavit. Cum enim omisso choro, qui non solum in tragoedia sed etiam in comoedia dignitatem et gravitatem quandam effecerat, nova comoedia ad mobilitatem quandam pervenisset, in maiore frequentia et mutatione personarum etiam veteres istae leges ad compositionem scaenicam spectantes non eodem, atque antiquitus, rigore servatae esse videntur, ita ut vix aliquam offensionem haberet, si una ex mutis personis, ex *δορυφορήμασι*, duobus tribusve verbis, sive lorarium sive servum aliquem agens, actorum legitimorum colloquia vel adnuendi vel negandi causa interrumperet. Quod, cum in Graecorum comoedia in coniectura positum est, in Romanorum fabulis factum esse, fere omnes fabulae servatae ostendunt, cum, etiam si litteris Graecis iam multum commemoratis nullum vestigium veteris personarum distributionis exstaret, tamen partes lorariorum ancillarum aliarum personarum duo vel tria verba pronuntiantium non a legitimis actoribus actas esse, suspicari possemus.

Litteras Graecas codice Bembino et Victoriano traditas, ad quas nobis nunc transeundum est, ad personas inter actores distribuendas spectare, iam Ritschelius et Steffenus ostenderunt, quare non opus est, ut hanc rem novis argumentis confirmem. Sed cum rationem, quam Steffenus ad illas litteras emendandas adhibuit, non probandam esse credamus vel ostendisse videamur, nobis circumspiciendum

Digitized by Google

est, num fortasse ex ipsis illis litteris viam, qua in eis emendandis progrediendum sit, indagare et praecipuam corruptionis causam eruere possimus. Quas res ex trium potissimum fabularum notis cognosci posse credo. Ad Andriam enim fabulam, ut ab hac incipiam in codice Bembino non nisi ad septem ultimas scaenas litterae illae Graecae servatae sunt, cum in ceteris scaenis, sicut in plurimis codicibus factum est, litterae Latinae initiales veterem significationem iam loco moverunt. Sed cum in Victoriano codice litterae Graecae in illis scaenis fere eaedem sint atque in Bembino, conici potest, similes sive easdem litteras in codice, ex quo Bembinus descriptus est, olim exstitisse. Sed ut, quid velim, facilius perspiciatur, tabulam proponam, ex qua, quomodo personae in utroque codice signatae sint, cognosci potest:

Actus et scaenae / versus quibus exhibentur personae.		Personae.	Notae in Bemb.	Notae in Vict.
I, 1	28	Simo Sosia		
I, 2	172	Simo Davus		*AB*
I, 3	206	Davus		*B*
I, 4	228	Mysis		*A*
I, 5	236	Pamphilus Mysis		*ΓT*
II, 1	301	Charinus Pamphilus Byrria		*BΓΦ*
II, 2	338	Davus Charinus Pamphilus		*ΔBI*
II, 3	375			
II, 4	404	Simo Pamphilus Davus		*AΓΔ*
II, 5	412	Byrria Simo Pamphilus Davus		*NΓΦA*
II, 6	432	Davus Simo		*ΔA*
III, 1	459	Mysis Lesbia Simo Davus		*EΦAΓ*
III, 2	481	Lesbia Simo Davus		*ΦAΓ*
III, 3	533	Simo Chremes		*AH*
III, 4	580	Davus Simo Chremes		*ΓAH*
III, 5	607	Pamphilus Davus		*ZA*
IV, 1	625	Charinus Pamphilus Davus		*ΘZΓ*
IV, 2	684	Mysis Charinus Pamphilus Davus		*EΘIΓ*
IV, 3	716	Mysis Davus		*EΓ*
IV, 4	740	Chremes Mysis Davus	*KEΓ*	*HEΓ*
IV, 5	796	Crito Mysis Davus	*ΨEΓ*	*ΨEΓ*
V, 1	820	Chremes Simo	*KA*	*HA*
V, 2	842	Davus Chremes Simo Dromo	*ΓKA-*	*ΓHAL*
V, 3	872	Pamphilus Simo Chremes	*ZAK*	*MPh*
V, 4	904	Crito Chremes Simo Pamphilus	*ΨKAZ*	*ΨHAZ*
V, 5	957	Charinus Pamphilus Davus	*ΘZΓ*	*ΘZΓ*

Digitized by Google

Quod Chremes in Bembino *K* littera, in Victoriano autem *H* littera significatur, offendere non debet, cum saepissime hae duae litterae in codicibus Terentianis inter se commutatae sint, ita ut ambas ad eundem sonum significandum usurpatas esse et aeque valere dici possit. Quare cum eaedem litterae in Bembino et Victoriano in septem ultimis scaenis tertia quinti actus scaena excepta personis asscriptae sint, etiam in hac scaena, in qua magis etiam Victoriani notae corruptae esse videntur, easdem olim atque in Bembino litteras exstitisse pro certo dici potest. Sed notis illis inter se comparatis, invenies, actorem *B* littera significatum post II, 3 non in scaenam prodire, *Z* et *Θ* autem inde a III, 5 et IV, 1 demum personis asscriptas esse, eandemque Charini personam nunc *B* nunc *Θ* littera signari. Quam difficultatem ut expediret, Steffenus significationem *B* littera factam omnino falso illatam esse suspicatus est neque dubitavit, pro illa littera aut *Θ* aut *Γ* litteram reponere. Sed, quaeso, potestne credi *Θ* in *B* corruptam esse, vel, cum in omnibus ceteris fabulis fere maximas partes actori, qui *B* littera significatus est, tributas esse videamus, in hac sola fabula illam notam non usurpatam esse ad actorem significandum? Potius *Z* et *Θ* litteras non quidem falsas esse sed non convenire, credam, cum ceteris notis.

Sed haec difficultas non solum in huius fabulae notis restituendis oritur, sed eodem modo in Phormione, in qua fabula quae litterae personarum distributioni inserviisse videantur, ex hac tabula pernosces:

Digitized by Google

Actus et scaenae quibus exhibentur personae.	versus	Personae.	Notae in Bemb.	Notae in Vict.
I, 1	35	Davus	*B*	*A*
I, 2	51	Geta Davus	*ΓB*	*BA*
I, 3	153	Antipho Phaedria	*AB*	*ΓΔ*
I, 4	179	Geta Antipho Phaedria	*AΓB*	*BΓΔ*
II, 1	231	Demipho Phaedria Geta	*ZBA*	*EΔB*
II, 2	315	Phormio Geta	*AE*	*ZB*
II, 3	348	Demipho Hegio Cratinus Crito Phormio Geta	*ZIΓΦAE*	*EH(M)-MZB*
II, 4	441			
III, 1	465	Antipho Geta	*AB*	*ΓB*
III, 2	485	Phaedria Dorio Antipho Geta	*ΓEAB*	*ΔNΓB*
III, 3	534	Phaedria Antipho Geta	*ΓAB*	*ΔΓA*
IV, 1	567	Demipho Chremes	*ZE*	*EO*
IV, 2	591	Geta Demipho Chremes	*AZE*	*m - -*
IV, 3	606	Antipho Geta Chremes Demipho	*BAEZ*	*ΓBΔE*
IV, 4	682	Antipho Geta	*BA*	*ΓB*
IV, 5	713	Demipho Chremes Geta	*ZEA*	*EOB*
V, 1	728	Sophrona Chremes	*ΘE*	*ΠO*
V, 2	766	Demipho Geta	*ZA*	*EB*
V, 3	784	Demipho Nausistrata	*ZB*	*EΠ*
—	795	Nausistrata Chremes Demipho	*BEZ*	*ΠOE*
V, 4	820	Antipho	*B*	*Γ*
V, 5	829	Phormio Antipho	*ΓB*	*(Γ) I*
V, 6	841	Geta Antipho Phormio	*ABΓ*	*BIZ*
V, 7	884	Phormio	*Γ*	
V, 8	894	Demipho Chremes Phormio	*ZEΓ*	*ΓOZ*
V, 9	990	Nausistrata Chremes Demipho Phormio	*BEZΓ*	—

Quod in hac fabula Bembini notae numquam fere consentiunt cum Victoriano vix mirum esse potest, cum Victoriani litterae Graecae recensionem perpessae esse videantur. Unicuique enim personae unam litteram tributam et per totam fabulam asscriptam esse videmus, qua in re id studuisse videtur διορθώτης, ut, quae persona prior in scaenam prodiret, eam, ordinem alphabeticum secutus, priore huius ordinis littera significaret. Quare cum huius codicis notae nihil proficiant ad quaestionem institutam, solius Bembini nobis in hac fabula ratio habenda est. Cuius in notis idem animadverti potest atque in litteris Graecis ad Andriam spectantibus. *I* enim littera post III, 3 nulli personae asscripta est, cum *Y* littera inde a V, 5 demum

Digitized by Google

ad Phormionis personam significandam usurpatur. Nam quod in II, 3 eadem littera iam Cratino asscripta est, alio modo explicandum esse videtur, cum haec persona secundarii actoris fuerit, quos ultimis ordinis alphabetici litteris plerumque significari recte Steffenus animadvertit. Potestne autem credi, actorem *Γ* littera significatum post III, 3 non in scaenam prodiisse, vel actorem, cuius nota *Υ* fuit, inde a V, 5 demum Phormionis partes suscepisse, quamvis eadem persona iam in II, 2 et III, 3 in scaenam prodiisset?

Nullo modo has difficultates expediri posse credo, nisi ad diversas illarum fabularum actiones diverso modo personas inter actores distributas fuisse, diversarum autem distributionum vestigia in illis notis exstare statuimus. Et prorsus probabilem hanc coniecturam esse facile concesseris, si varias et nunc ad hanc nunc ad illam personam suscipiendam aptiores esse hominum vel histrionum facultates et indoles reputaveris. Quare quid totius rei naturae magis convenit, quam ut dominum gregis, suam et ceterorum histrionum facultates respicientem, quamvis iam aliquam personarum distributionem in exemplaribus suis inveniret, sed non convenientem histrionum suorum facultatibus, alio modo eas distribuisse credamus? Sin autem diversarum distributionum notae personis in histrionum exemplaribus asscriptae erant, quam facile, qui ex iis fabulas describerent et in unum corpus colligerent, errare potuerint, et quantam confusionem haec res effici potuerit, in aperto est et satis ex litteris servatis cognoscitur.

Coniectura mea autem confirmatur et ad evidentiam fere perducitur personarum notis ad Hecyram spectantibus. In huius enim fabulae litteris Graecis Victorianus codex tantopere differt a Bembino, ut Steffenus*) in medio relinquendum putet, quid de hac fabula statuendum sit, et cum

*) l. s. s. p. 124.

Digitized by Google

ex XL notis novem tantum eaedem sint in Bembino et Victoriano, hunc correctoris manum expertum esse suspicetur. Sed ut personarum significationem ad hanc fabulam spectantem uno obtutu perspicere possis hanc tabulam propono:

Personae.	Bembini notae.	Versus quibus exhibentur personae.	Victoriani notae.	Versus quibus exhibentur personae.
Philotis	*B*	58, 76.	*A*	58.
			E	76.
Syra	*Γ*	58, 76.	*B*	58, 76.
Parmeno	*A*	76, 415, 798, 841.	*A*	76, 798.
	B	281.	*B*	281, 336, 841.
	Γ	336.	*Γ*	415.
Laches	*B*	198, 243, 451.	*A*	198, 243.
	Γ	607, 623, 727, 768.	*B*	451, 607, 623, 727, 768.
Sostrata	*Φ*	198, 243, 273, 336.	*E*	198, 243 (273) 336,
	Θ	577.		577.
Phidippus	*A*	243, 451, 623, 768.	*B*	243, 516.
	B	516.	*Γ*	451, 632, 727.
Pamphilus	*A*	281.	*A*	281, 336, 361.
	B	336, 361, 577.		415, 451, 577.
		607, 623.		607, 623, 841.
	Γ	415, 451, 841.		
Sosia	*B*	415.	*Δ*	415.
Myrrina	*Φ*	516.	*Z*	516.
Bacchis	*B*	727, 768, 798.	*Z*	727, 841.
		816, 841.	*I*	798.

Si in Victoriani notis de correctura aliqua facta cogitare velis, quomodo vel quam rationem secutus in illis litteris corrigendis corrector versatus sit, intellegi nequit. Sin autem accuratius notas illas spectamus et inter se conferimus, mirum quasi esse debet, quod in tanta differentia et quamquam utriusque codicis notae librariorum erroribus corruptae sunt, tamen in utroque concinnitas et ordo et aequabilitas quaedam perspicitur. Tantummodo unam rem nunc commemorabo, in qua, ut mihi videtur, simul fundamentum quasi positum est, a quo in personarum notis explicandis et emendandis proficiscamur oportet, et ratio, quae ad quaestionem nostram illustrandam adhibenda esse

Digitized by Google

videtur, indicata et patefacta est. — Lacheti enim in codice Bembino in duabus scaenis, quae incipiunt a v. 198 et 243. *B* litteram ad actorem significandum appositam esse invenimus, in ceteris autem scaenis eadem persona, si codicem sequamur, actori, qui *Γ* littera significatur, tributa est; nam in scaena, quae incipit a v. 451, *B* littera, ut aliis quoque causis demonstrari potest, in *Γ* mutanda esse videtur*). Sin autem cum his litteris Lacheti asscriptis eas comparamus, quae Victoriano codice traduntur, mirum esse debet, quantam consensionem et concentum inter duorum illorum codicum notas non in ipsis litteris sed in commutatione litterarum inveniamus. In eisdem enim scaenis, in quibus Lachetem *B* littera in Bembino signatum esse vidimus, littera *Δ* Lacheti in Victoriano asscripta est, in ceteris autem scaenis ut in Bembino *Γ*, ita in Victoriano *B* littera. Huc accedit, quod idem actor, qui in duabus illis scaenis (II, 1 et II, 2) Lachetis partes suscepisse videtur, in aliis scaenis Pamphili personam et in Bembino et in Victoriano egit. Profecto hanc rem casu vel fortuitis librariorum erroribus factam esse, credi nequit, et ne correctoris quidem manu talis consensus in magna illa notarum discrepantia effici potuit, nisi forte eum cum diligentia quadam ineptissima et incredibili corrigendi studio litteras illas mutasse putamus, idque ita, ut in ipsa mutatione concentum quendam servaret. Paucissimis autem mutatis ex utriusque codicis litteris personarum distributio erui potest, diversa quidem, sed eiusmodi, ut non alteram veram alteram autem corruptam seu recensionem aliquam perpessam esse statuere possis. Quid ergo de duabus personarum distributionibus

*) Cum enim in scaenis, quae antecedunt, Pamphilus *B* littera signetur et inde ab initio tertii actus scaenam non relinquat, apparet, errore librarii hic et in scaena proxima *Γ* litteram pro *B* Pamphilo asscriptam esse.

Digitized by Google

iudicabimus, cum utraque, ut sibi fidem habeamus, postulare videatur? Nihil restat, nisi ut, quod in Phormionis et Andriae litteris iam ostendimus, ad diversas Hecyrae actiones diverso modo personas distributas fuisse statuamus. Quod vero in hac re Victoriano codici eandem fere auctoritatem tribuimus atque Bembino, qui ad fabulas ipsas emendandas quanto maioris auctoritatis sit, a nemine ignoratur, offendere non potest, cum etiam alias iuniores codices magis vetustatis vestigia servaverint, quam veteriores. Quae res cum multis exemplis ostendi possit, tantummodo hoc commemorabo, quod in solo Vetere ex omnibus codicibus Plautinis litterarum illarum Graecarum vestigia exstant, in Ambrosiano autem illa personarum notatio omnino omissa videtur.

Sed hac re, ut videtur, ad liquidum perducta, etiam aliud, uti iam supra commemoravi, ex illarum litterarum comparatione colligi potest, idque ad notas personarum emendandas earumque distributionem cognoscendam gravissimum. Cum enim et in ea personarum distributione, quam exhibet Bembinus, et in ea, quae Victoriano tradita est, Lachetis partes inter duos actores distributae sint, hac consensione non solum indicari credo, litteras illas non mutandas, uni igitur actori Lachetis personam non tribuendam esse, sed etiam omnino a veteribus Romanis eiusmodi distributionem unius personae inter duos actores non vitatam sed quodammodo quaesitam esse.

Mira quidem nobis nostra instituta respicientibus talis personarum distributio videri debet, et cum videam, quam acriter nonnulli viri docti eiusmodi personarum distributionem in Graecorum fabulis vituperaverint, nunquam eam proferre ausus essem, nisi ita tradita esset, ut fere nullam dubitationem relinqueret. Sed etiam Steffenum, quamquam unamquamque personam uni actori tribuere studuit, tamen

Digitized by Google

non potuisse video, quin, quamvis gravibus coniecturis ad emendationem illarum litterarum propositis, in Eunucho Phaedriae partes inter duos actores distribueret.

Sed cum Romani in distributione personarum non omnino Graecorum morem accepisse videantur, restat adhuc explicandum, quam potissimum rationem in personis distribuendis secuti sint. Nam cum in ea distributione, quam exhibet Bembinus, nihil obvium sit, quin idem actor, qui in ceteris scaenis Lachetis personam egit, eam in II, 1 et II, 2 quoque suscipiat, eodem autem modo in Victoriani distributione uni actori Lachetis persona tribui potuisset, quid veteres ad illam distributionem commovit?

Si versuum numeros, singulis actoribus illis personarum distributionibus in Hecyra tributos inter se comparaveris, invenies longe maximas partes eis actoribus, qui *A* et *B* litteris significantur, tributas esse, eosque, quam saepissime fieri potuit, in scaenam prodire. Eadem autem res ex litteris Graecis ad ceteras fabulas spectantibus consequitur, ita ut certissime concludi possit, veteres Romanos non tam studuisse, ut ab uno actore unaquaeque persona susciperetur, quam ut duo optimi actores quam saepissime in scaenam prodirent et quam maximas partes agerent. Cuius rei ratio in aperto est neque accuratiore demonstratione eget. Hac autem re etiam illud, unde profecti sumus, explicandum videtur; Lachetis enim persona in Bembini distributione ab actore *Γ* littera significato etiam in II, 1 et II, 2 suscipi poterat, sed cum secundus ille actor *B* littera significatus in secundo actu in scaenam non prodiisset, veteres, illam rationem in personis distribuendis secuti, huic Lachetis partes in duabus illis scaenis tribuerunt.

Sententia mea vero confirmari videtur eo, quod et in omnibus didascaliis, praeter eam, quae Ambrosiano codice tradita est, et in omnibus Donati praefationibus duo actores

Digitized by Google

ad unam fabulae actionem commemorantur. Quamquam enim Dziatzko*) ostendisse videtur, ad diversas eiusdem fabulae actiones duos illos actores referendos esse, tamen in ipsa duorum actorum commemoratione memoriam rationis a veteribus in personis distribuendis adhibitae servatam esse credo. Quam enim causam eum vel eos, qui didascalias fabulis Terentianis praeposuerunt, commovisse credamus, ut, quamquam unius tantum actionis mentionem fecerunt vel certe voluerunt, quamquam legisse et scripsisse videntur „egit", tamen duorum actorum nomina adderent, nisi illius personarum distributionis recordationem vel notitiam? Nam non ab uno sed a compluribus didascalias codicibus Terentianis praemissas esse, iam ex earum diversitate colligi potest. Et nihilo minus in unaquaque duorum actorum nomina exstant. Eos vero, qui fabulis Terentianis certe iam multo ante Donati tempora didascalias addiderunt, has res ex libris didascalicis Varronis vel Aelii Stilonis vel alius grammatici sumpsisse, Ritschelius**) ostendit. In illis autem operibus didascalicis omnes cuiusque fabulae actiones, quoad fieri potuit, commemoratae erant, additis diversis ludis, aedilibus, consulibus, actoribus vel dominis gregum. Quomodo autem factum est, ut omnes, qui separatim didascalias conscripserunt, et eas, quas exhibet Bembinus, et eas, quae ceteris codicibus traduntur, et eas, quas inspexit Donatus, ut omnes non unum vel tres vel quatuor, sed duos ex numero illo actorum seligerent? Non aliter hoc explicari posse credo, quam ut, hos grammaticos illud „egit", quod exstat in didascaliis, non de opere domini gregis, ut fortasse recte voluit Dziatzko, sed de opere actorum intellexisse statuamus. Duos autem actores omnes propterea commemorasse videntur, quod iis notum erat, duos

*) Mus. Rhen. vol. XX p. 587 sqq.
**) In Parerg. p. 320.

Digitized by Google

optimos actores longe maximas partes egisse. Ea autem personarum distributione, quam proposuit Steffenus, non tanta differentia inter duos primos et ceteros actores efficitur, ut illorum tantum nomina commemoratu digna videri potuerint; sed si ea via, quam ego proposui, personarum distributionem ex illis litteris eruere studemus, si igitur litteras illas secuti unam personam inter duos actores distribuere non dubitamus, longe maximae partes duobus illis actoribus *A* et *B* litteris significatis tribuuntur. Itaque si recte argumentati sumus, et explicavimus, quomodo factum sit, ut in omnibus didascaliis Terentianis duorum actorum nomina inveniantur, et simul argumentum et testimonium ad nostram sententiam firmandam satis firmum attulisse videmur.

Sed tota argumentatio mea refelli posse videtur notis in codice Vetere Plautino ad Trinummum traditis. In eo enim, uti supra iam enarravi, unaquaeque persona suam notam habet, nisi quod Philtoni et Megaronidi eadem *A* littera asscripta est. — Qua in notatione iam hoc offendere debet, quod leges, quas ex litteris ad Terentianas fabulas spectantibus et Steffenus collegit et ego colligi posse credo, omnino neglectae sunt. Recte enim Steffenus animadvertit, ultimas ordinis alphabetici litteras fere actoribus secundarum partium significandis inserviisse, maximae autem partes, ut vidimus, actoribus *A* et *B* litteris significatis tributae sunt. In illa autem Veteris codicis notatione *X* litteram Sycophantae asscriptam invenimus, cui quidem XCV tantum versus recitandi erant, sed certe partes eius non facillimae actu erant. Praeterea autem dubitationem quandam nobis inicere et certe mirum esse debet, quod litterae illae Graecae, cum in uno illo Vetere ex omnibus codicibus Plautinis et in eo ne ad totam quidem Trinummi fabulam exstent, ita traditae esse videantur, ut nullam fere corruptionem, nullam difficultatem praebeant, cum in duobus

Digitized by Google

codicibus Terentianis, in quibus ad omnes fabulas exstant, tam corruptae sint. Quare potius Plautinas illas litteras falsas vel recensionem perpessas esse credam, qualem etiam in Terentii Phormione factam esse vidimus, quam ut illum duorum codicum, diversarum distributionum consensum casui vel fortuitis erroribus tribuam.

Ad sententiam autem meam confirmandam etiam hoc addere possum, quod, si illarum litterarum vestigia, quantum fieri potest, sequimur, si igitur unam personam inter duos actores distribuere non dubitamus, ex notis illis consequitur, inter quinque actores legitimos personas distributas fuisse, ita ut etiam illa varietas in numero actorum, qua in Steffeni argumentatione offendebamur, quam Steffenus ipse in Schmidtii disputatione vituperavit, vitetur.

Emendationem vero illarum litterarum, quam interdum satis ambiguam esse concedo, enarrandam in aliud tempus differam, nunc satis habebo, si non solum mihi sed etiam aliis probavero, notas ad diversas personarum distributiones spectantes ad Hecyram in Bembino et Victoriano servatas, in Phormionis et Andriae litteris mixtas et confusas esse, et denique veteres Romanos unius personae partes inter complures actores distribuere non dubitasse.

Cum hanc dissertationem iam mense Novembri anni praeteriti amplissimo ordini philosophorum Lipsiensi tradiderim, nullam mentionem feci earum rerum, quas protulit Dziatzko in censura dissertationis a Steffeno conscriptae, quae exstat in ephem. litt. Jenens. huius anni p. 29 sq. Ibi enim, quamquam breviter tantum locutus est de hac

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

quaestione, tamen nonnullas res acute coniecit; et valde gaudeo, quod in plurimis rebus eodem fere modo de Steffeni dissertatione iudicavit atque ego, et quod ad eandem fere sententiam magis coniectanto et divinando quam argumentando pervenit, quam ego, quantum potui, ostendisse mihi videor.

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

Vita.

Natus sum Lucianus Augustus Hilmarus Bosse a. d. VIII. Cal. Octobr. anni CIↃIↃCCCL Langelshemiae, vico Brunsvicensi, patre Augusto matre Augusta ex gente Happe. Fidem profiteor evangelicam. Anno h. s. LXI traditus sum gymnasio Brunsvicensi, quod tum G. T. A. Kruegero rectore florebat, viro et de litteris et de schola optime merito. Cui cum propter valetudinem debitum otium et requiescendi tempus permissum esset, C. Th. Gravenhorstus in eius locum successit, vir summo ingenio et humanitate praeditus. Anno h. s. LXIX maturitatis testimonio, quod dicitur, instructus, Lipsiam me contuli, ut philologiae operam darem. Sed cum inde ab anno h. s. LXX usque ad annum h. s. LXXI militia mihi sustinenda esset, ab hoc tempore demum, acrius litteris operam navavi. Scholas autem frequentavi, quas habuerunt viri doctissimi: Ahrensius, Brockhausius, Curtius, Drobischius, Ecksteinius, Langius, Overbeckius, Ritschelius, Voigtius, Zarnckius. Praeterea seminarii paedagogici Ecksteinii sodalis extraordinarius per unum annum et societatis philologae, quam Ritschelius moderatur, sodalis ordinarius per duos annos fui. Quibus viris omnibus debitas summis in me meritis gratias ago quam maximas.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

U. C. BERKELEY LIBRARIES
C046660794

251425
Boose

Digitized by Google

Digitized by Google

U. C. BERKELEY LIBRARIES
C046660794

Digitized by Google


Digitized by Google